DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM DE

PHTHISI PULMONALI

COMPLECTENS.

Auctore Barclay Harper.

PRÆFANDA.

Mors, si nostris quoque temporibus, ut in fabulis quondam fecisse narratur, cellam suam regiam conscenderet, convocatisque potestatis suæ ministris omnibus—

> "All maladies;
> Of ghastly spasm, or racking torture, qualms
> Of heart-sick agony, all feverous kinds,
> Convulsions, epilepsies, fierce catarrhs,

† A

Intestine stone, and ulcer, cholic pangs,
Demoniac phrenzy, moping melancholy,
And moon-struck madness, pining atrophy,
Marasmus, and wide-wasting pestilence,
Dropsies, and asthmas, and joint-racking rheums ;"

(MILTON.)

eos apud, quæ tunc de eo commeriti essent, dicendi potestatem faceret, haud dubium est quin devastationis palma Phthisin dignaretur. Hic enim apparitur. Regi suo pallido et horrendo victimas aut legit semper, aut adducit, aut mactat. Bellum hodie gentes populatur, cras quiescit : fames per intervalla tantum vires suas exerit : Pestis, finita strage, antrum suum teterrimum petit. Phthisis autem nunquam expletur, neque satiatur : non sexui, non ætati parcit. Dormientibus insidias tendit, vigilantes occupat, noctuque et interdiu sævit. Victimæ, quas morbus hic exitiosus morte multat, exitu aut imminentes, aut in tempus dilatæ, indicia, quæ ab aliis aliter spectantur, edunt. Dum poëta figuram elegantiorem, aëream, frontem eburneam, genas, in quibus auroræ rubor cum amoris nitore certare haud desinit, cernit ; medicus in his omnibus, quæ poëta mirari gaudet, morbi insignia contemplatur ; mentibus haud magis inter se diversis fabularum

heroicarum conditor, FOSSOR, sepulchrum tuentur. Dum hic nihil nisi marmor incisum, effigiem affabre factam, aut scutum variis ornamentis distinctum miratur, ille carnem intus putrescentem, aut ossa albentia cogitatione complectitur.

Quæ THOMAS in libro suo, cui titulus "Practice of Medicine," de Mania dixerit, mihi huic loco ita apta videntur, ut ipsius verba citare placeat. "One who is aware of a decided bias in his own person toward mental derangement, ought to shun the chance of *extending and perpetuating* the ravages of so dreadful a calamity. A man so situated, in incurring the risk of becoming a parent, involves himself in a crime which may not improbably project its lengthened shadows,—*a shadow, too, which widens in proportion as it advances,*— over the intellect, and the happiness of an indefinite succession of beings. When, as it sometimes happens, an hereditary disposition or bias to this disease appears to sleep through one generation, it will often be found to waken in the next, with even aggravated horrors. Should the child of a maniac escape his parent'days aml, the chance is small that the grandchild will be

equally fortunate. The continued stream of insanity, although it occasionally conceal itself for a time, may soon again emerge to our view."

Ex partis affectæ fabrica, a quibusdam asseritur de Phthisi vere dici posse, quod de amore finxerit OVIDIUS,

"Non est medicabilis herbis."

Quam sententiam, utinam, experientia certa non tam bene confirmasset!

Cui hæc cogitanti, cum vate, qui de sepulchro cecinit, exclamare non in mentem venit?

"Proud Æsculapius' son,
Where are thy boasted implements of art,
And all thy well-crammed magazines of health?
* * * * *
Where are thy recipes and cordials now,
With the long list of vouchers for thy cures?"

DE MORBO DEFINIENDO ET ORDINANDO.

CULLENUS *Phthisin pulmonalem,* perperam, ni fallor *Hæmoptysi,* veluti *sequelam* subjecit. Neque enim semper *Hæmoptysis* in *Phthisin* desinit; neque hæc non sæpe, illa non prægressa,

accedit. Duas idem auctor clarus SPECIES proposuit; nimirum,

I. *Incipientem,* atque II. *Confirmatam:* quem plane hæc res omnino fefellit; duas enim unius morbi partes, SPECIES nominare prorsus alienum est.

Morbum de quo agimus ita definire placet: "Exulceratio pulmonis, marcore, sputo puris, et febre hectica indicata." Hæc exulceratio triplicis est generis; nimirum,

I. Modo multoque sæpissime, tuberculorum inflammationi supervenit.

II. Modo *apostema,* vel abscessum, excipit.

III. Alias inflammationem membranæ mucosæ, sequitur. Aliis igitur alia contingit ista inflammatio, quæ exulcerationem antecedere consuevit, prout adsint tubercula, abscessus, sive *apostema,* aut inflammatio membranæ mucosæ.

Hac vero continentur phthisis Culleniana *incipiens;* exulceratione futura, *confirmata.*

DE SIGNIS.

Satis patet ex jam propositis, hujus morbi progressum in duas partes recte diduci; quarum una inflammationis sui similis; altera pulmonis jam exulcerati, signis denuntiatur.

I. Inter initia, æger, citra sputum, crebro tussire solet, præsertim die advesperascente. Ossi pectoris incumbit sensus ponderis vel ardoris; spiritus trahitur et emittitur difficilius atque citius, quam fert natura, potissimum ægro ambulante. Dolor lateris simul urget, *pleuritico* aliquanto levior; qualis vernacule "Stitches" nominatur. In partem dolentem ægro cubare non licet. Caput porro dolet; cutis summa præter modum calet; viresque artuum labuntur, haud raro citra animi languorem. Inter tussiendum, sensus torquet alieni quasi fauces titillantis; vox rauca editur. Si homo in acclivi ambulat, crebro sedere cogitur, quo melius spiret, corde simul palpitante. Cibi parum appetuntur, nec raro evomuntur. Alvus justo pigrior parum ex-

cernit: oculi hebetes nitore solito destituuntur. Lingua subflava sordet: urina redditur diluta. Arteriæ citius duriusque, quam, valetudine integra, moventur. Sanguis vena nunc secta missus, tunica ista corio simili velatur.

Hæc mala, lege certa vacua, alios leviter exercent; alios graviter. Modo tantula sunt, ut ipsum ægrum pene lateant; cui *catarrhus* mitior subesse videtur. At serius ocyus, dolor pectoris acutior, sputumque sanguinis, morbum terribilem futurum satis insigniunt.

II. Tandem dolor pectoris uni sedi infixus continenter torquet: infelix tussi vexatus noctu vigilat: pus expuitur, haud sane album, leve et æquale, sed acre, viride, nec raro cruentum: modo calculi extussiuntur. Indies sputa increscunt; interdum equidem libra una intra horas xxiv. excreatur.

Febris *hectica* mox describenda accedit. Anhelitus fœtet: vox raucisona sonum ampla spelunca ortum refert, adstantes territura. Spiritus sensim fit difficilior, arteriæ saliunt molliter exiliter, at vix tardius quam antea. Labuntur vires: emacrescit totum corpus; id quod testantur ocu-

li lapsi et vitrei, ungues adunci; ossa ipsa denique summam pene cutem transfixura. Vires passu celeri jam ruere docent, capilli decidere soliti, alvus resoluta, sudores nocturni, atque aqua pedum et manuum intercus. Lingua et fauces rubescunt, et nitent, *aphthis*que efflorescunt. Demum, ipsam mortem in propinquo testantur delirium, oculi obcæcati, sputa quiescentia, artus frigentes, nervorum distentiones.

De Febre Hectica.—Febrem *hecticam* sic definio: "Febris remittens, duas accessiones quotidie sibi præferre solita, meridianam leviorem, vespertinam graviorem: hæc vero ex horrore, ardore, et demum sudore nocturno, urina simul multa et crassa, constat; secutura remissione matutina." Hæc febris plures alios morbos stipare consuevit; multoque sæpissime (uti *phthisi pulmonali* maceratis) puri resorpto sanguinique circumfluenti immixto debetur. Scire licet inter hanc aliasque febres interesse, eo quod nunquam non alio quodam morbo jam præsenti nascitur atque alitur: quod sudores ejus proprii non *judicatorii* aut salutares sunt; at contra colliquefacturi et perniciosi: quod, secus atque febris intermittens, binas indies accessiones exhibet: de-

nique (id quod notatu dignissimum opinor) actio cerebri et ventriculi parum, febre *hectica*, quam maxime quavis alia implicatis, labefactatur.

DE DIAGNOSI.

Si quidem *catarrho* mero vexati, humorem flavum, et opacum, puri ipsi simillimum extussire consuerunt; haud parvi refert medicorum pus a pituita, id est *muco*, discernere posse. Hisce vero notis in animo habitis, medico errare vix licebit. Si pus aqua mistum aliquamdiu exagitatur, facile et æqualiter per totam eam diffunditur: quod si liquor postea quiescit, pus suo nutu illico præceps cadit. Pituita contra eodem modo habita flocculos quasi trahit, aquæ innatans.

Microscopio interposito, pus latex pellucidus et tenuis globulis opacis et albidis plenus esse conspicitur; qui pituitæ omnino desse videntur.

Si pus tabulis duabus vitreis interclusum luci objicitur, eosdem repræsentat colores, quos *iris* cœlestis, vel *prisma* vitreum jubari oblatum.

Haud equidem ignoro *chemiæ* peritos aliis confidere indiciis; iis nempe, quæ *chemia* patefecit. Quum vero hæc minoris nobis videntur, duo unice notabo. Si *Murias Ammoniæ* aqua dissolvitur, iste liquor pus, non mucum, coagulare valet.

Si sputa *Acido Sulphurico* liquantur, et, aqua dein adjecta, nihil exinde subsidit, pus deesse constat: quod si aliquid dejicitur, idem pus judicandum. *Liquoris Potassæ* eadem est ratio.

DE CADAVERIBUS SECANDIS.

Cadaveribus eorum patefactis, quos *phthisis pulmonalis* enecuit, pulmo plus minusve exulcerari apparet. Modo sane ex uno latere penitus evanuit; ex altero, portio non nisi perexigua superfuit. Quum vero longe sæpissime hic morbus e tuberculis inflammatis oritur, hæc brevi sermone describere in animo est.

Tubercula sunt corpora globosa, subalbida, varia mole, conferta, pulmonis, penetralibus, id est, telæ reticulatæ cavernis, infixa; cartilagini sive caseo haud absimilia. STARKIUS aliique va-

sa et nervos iis inesse negant. Demum, serius ocyus inflammata sensim mollescunt. A centro mollities profecta ad ambitum denuo serpit: nunc demum sacculi fiunt, humore peracri repleti. Tandem exesis, id est resorptis, sacculo et partibus conterminis, patescit foramen, cujus ope humor iste vitiosus in animæ meatum profunditur extussiendus. Ubi huc ventum est, *phthisis tuberculosa* confirmata jure subesse dicitur. Non autem tubercula omnia eodem tempore inflammantur aut exulcerantur; at sæpe eidem corpori contingunt, quædam dura, alia inflammata, alia exulcerata. Quod ad tuberculorum naturam atque originem, parum inter medicos convenit. Nonnullis placuit, ea esse glandes *lymphaticas* struma affectas: aliis, arterias *bronchiales* in corpore *struma* inquinato ea secernere. Quum satis constat glandes *lymphaticas* pulmoni deesse, tubercula porro nondum inflammata *fibrinam* referre, vasisque et nervis vacare; inducor qui conjiciam, hæc corpora secerni, non ex glandibus *strumosis* constare.

DE SIGNORUM RATIONE.

Non nisi præcipuis et gravioribus signorum insistere in animo est.

Tussis.—Inter initia, tussis, ad membranam *mucosam* justo aridiorem, ideoque admodum irritabilem, referenda est; ad finem contra, ex pure acri, et interdum cruore atque calculis, animæ meatum irritantibus, enascitur.

Difficultas spirandi.—Pulmone nondum exulcerato, spiritum gravant præsertim tubercula, vel inflammatio vel cruor intus effusus, hæcve omnia simul juncta; eodem spectat pectus fere angustum.

Postea vero, fabrica pulmonis exulceratione diruta, fistulæ spiritales pure, calculis aut cruore refertæ, spiritum quam maxime impediunt.

Marcor.—Corpus tabescit, eo quod *chylus* rite in sanguinem converti cessat. Eodem pertinent alvi fluxus atque sudores nocturni. Ad mar-

corem referenda sunt oculi, adipe resorpto, lapsi, ungues adunci, &c.

Oculi vitrei.—Membrana *sclerotica* margaritam colore refert, eo quod vascula *adnatæ* inspersa, præ corde et arteriis languentibus, laticem tenuem unice, non particulas rubras, accipiunt. Ob eandem causam, vires scilicet cordis dilapsas, vultus expallescit, cæsariesque sua sponte decidit.

Alvi fluxus et *sudores gelidi* fibris motricibus perquam laxatis debentur, ideoque morituros persæpe male habent; nec, solummodo *phthisi* sed aliis quoque valetudinis adversæ generibus absumendos macerant.

Aqua pedum et manuum intercus partim e vasis exhalantibus atque absorbentibus resolutis; partim e sanguine pulmonem ægerrime permeante, nascitur.

DE CAUSIS.

Causæ morborum triplicis sunt generis; *Abditæ*, scilicet, *Evidentes* et *Continentes*. Ab-

ditæ vocantur, quæ corpora ad morbos subeundos proclivia reddunt: hæ vero ipsis corporibus fere inhærent. Evidentes sunt, quæ admotæ morbos excitant. Continentes sunt, quæ morbos constituunt, sublatæ tollunt, mutatæ mutant. De harum singulis, quod ad *Phthisin* attinet, nunc disputandum.

De Causis abditis.—Usus jamdudum edocuit, præ cæteris huic malo patere sanguineos, graciles, proceros, pectore angusto, spina dorsi curva, præditos; vultu simul roseo, cute pertenui, oculis cœruleis (interdum sane fuscis), cervicibus longis, nervisque perquam sentientibus, instructos. *Strumam* admodum *phthisi* favere, res est notissima: qua scilicet omnes *tuberculis* pulmonis vexati inquinantur. Hinc *phthisicis* persæpe contingunt labrum superius tumidum, alæ nasi prominentes, glandulæ *lymphaticæ* tumefactæ, aliave strumæ indicia.

Jamdiu medicis innotuit, hunc morbum jure quasi hæreditario a parentibus ad serissimos nepotes transferri; majoribus scilicet *phthisicis* prognatos in hoc malum exitiabile incidere solitos esse. Ex jam propositis, satis in aprico est, cur

Britanni, præ aliis quibusdam gentibus, hoc morbo conflictentur; quippe quorum plurimos indole jam descripta natura donavit. Adolescentes, præ pueris atque sensibus, hoc morbo affligi consuerunt. Neque vero lex hoc perpetua regit: quadragenarii enim eidem succubuere.

De Causis Evidentibus.—Causæ evidentes, sive excitantes, triplicis esse generis videntur.

I. Quæ tubercula jam pulmoni infixa inflammant.

II. Inflammatio prægressa in suppurationem desitura.

III. Inflammatio membranæ *muscosæ* prægressa.

I. Unde nascantur tubercula, parum constat. Quæcunque vero eadem jam facta inflammare possint, causæ excitantes *phthisis tuberculosæ* jure vocantur.

Hujusmodi sunt imprimis *hæmoptysis* atque *asthma*. Non sane affirmo *hæmoptysin*, quoties morbum propositum antecedit, semper tuberculis inflammandis, eundem arcessere: interdum enim, hisce deficientibus, in ulcus abiit. Quod si ad-

sint, nullus dubito, quin tussis assidua *hæmoptysin* comitari solita, ea adeo usque irritet, ut inflammatio cieatur. *Asthmatis* eadem est ratio.

Quin etiam huc attinent, quæcunque pulmonem irritent, dummodo adsint tubercula: qualia sunt pulvis quivis acer, fumive ex iis, quæ effodiuntur, fusis exorti. Hinc lapicidæ, linarii, aliique artifices ista inhalare soliti non raro in *phthisin* labuntur. Aër humidus, frigidus, et varius, exinanitiones derepente quiescentes, pari ratione nocere possunt. Huc porro spectant calculi pulmoni infixi, vociferatio nimia, et alia istiusmodi. Tibia voceve crebrius canere eodem modo lædit.

Aliquando morbo veneris inquinati demum, humoribus jam *hydrargyro* imbutis, *phthisi* absumuntur: non uti opinor, quod *syphilis* eam movet; sed quod præparata ex *hydrargyro*, præ stimulandi facultate, haud secus atque noxæ jam relatæ, efficiunt, ut tubercula inflammentur et exulcerentur.

II. Nonnunquam *pneumonia* in *phthisin* abit: id est, pulmone inflammato fit abscessus, sive *apostema*, in *phthisin*, modo causæ abditæ adsint, desiturus. Neque simul non fateor fieri

posse, ut inflammatio pulmonis *phthisin* subinde, tuberculis irritandis, cieat. Non vero audiendi sunt, qui *vomicam*, citra tubercula, adesse posse negant. De hoc sane auctores potius verbo quam re inter se dissentiunt. CULLENUS enim ea voce, " Vomica," utitur ad abscessum pulmonis significandum: LANECIUS contra, ad tuberculum jam pure malo incluso emollitum indicandum.

III. Res est inter medicos satis nota, membranas *mucosas* inflammatas sæpe pus secernere. Exemplo sit, membrana *urethræ gonorrhœa* affecta, vel *adnata* tenellis inflammata. Pari ratione, si membrana animæ fistularum, causis morbi propositi abditis præsentibus, inflammatur; proximum est, ut pure vitioso secreto, ulcus denuo fiat. Hacce ratione, ni fallor, *Catarrhus, Bronchitis, Rubeola, Pertussis* (quibus urgentibus, ista membrana inflammatur), *Phthisin* progignere consuerunt.

DE PROGNOSI.

Si quidem causa *continens* hujus mali confirmati est pulmonis exulceratio, nemo, vel leviter arte medica institutus, non intelligit, spem salutis futuræ abjiciendam esse. Quo pacto enim fieri potest, ut ulcus motu assiduo exasperatum, atque aëri continenter objectum, habitu corporis simul vitioso, sanescat? Non nisi inter initia, non desperandum; tunc enim medicina exulcerationi interdum occurrerre poterit. Simul atque vero infelix pus expuere, et febre *hectica* macerari cœperit, fatum inevitabile instare convenit.

DE CURATIONE.

Duplici consilio medicus, inter *Phthisin* curandam, innititur; nimirum,

I. Cavendum, ne tubercula, modo adsint, inflammentur; neve inflammatio pulmonis aut membranæ *mucosæ* exorta exulceratione finiatur.

II. Pulmone jam exulcerato, signa molesta lenienda: viribusque succurrendum.

I. Cœli mutatio multum sæpe valet. Præstat aër æqualis, purus, cujus temperies gradu circiter LXV. vel LXX. indicetur. Inter principia, Europam meridionalem, ni vetent bella, aut res familiaris angusta, ægrum adire oportet. Quod si ea loca petere non licet, Devoniam adeundum: totamve hyemem, homo conclavibus arte tepefactis continendus est. Carnes assæ vel elixæ, condita omnia, potusque meraci, summo studio fugi debebunt. Victus e lacte asinino et frugibus aptissimus est. Cavere simul oportet, ne vires inedia consumantur. Uti ignavia, secernenda et excernenda reprimendo; sic quoque cursus expeditior, cor arteriasque incitando, nocebit.

Panno laneo, veste intima, utendum; eo ut, citra sudorem, cutis halitus eliciatur.

Quod ad medicinæ auxilia; sanguinis missioni, exulcerantibus, vomitus, alvique moventibus, atque foliis *Digitalis purpureæ*, potissimum confidere oportet. De quorum singulis quam brevissime disputabo.

De Sanguine mittendo.—Si spirandi difficultas, dolor pectoris, tussis, febricula, et arteriæ concitatæ vehementer urgeant, sanguinem parcius mittere proderit; satis erit uncias elicere XII. vel XV. Hoc semel, bis, ter, sæpiusve fieri debet, prout doceant vires, ætas, corporis indoles, motus arteriarum, dolor, et quæ sunt hujusmodi.

De Exulcerantibus.—Venis rite jam vacuefactis, emplastrum *Meloës vesicatorii,* aut adeps *Tartrate Antimonii* mistus, parti pectoris dolenti imponendum. Maximeque interest, ulcus ibidem aliquamdiu servare, unguento jam dicto, vel unguento e foliis *Juniperi Sabinæ* admoto.

De Vomitus moventibus.—Quomodo vomitus arte illatus proficiat, incertus hæreo. *Sulphas Zinci* vel *Sulphas Cupri* optime eo consilio datur. Alii contendunt vomitum efficere posse, ut tubercula resorbeantur. Potius conjicio, si quid prosit, fructum partim e nausea prægressa deduci, quæ cor arteriasque sedat; partim e pulmone corporeque universo exagitatis, unde sputum expeditur, secernendaque et excernenda melius secernuntur et excernuntur.

De Alvi purgatione.—Alvus lenioribus medicamentis solicitari debet: veluti *Oleo Ricini communis*, *Sulphate Magnesiæ*, *Infuso Cassiæ Sennæ*, et similibus: facile enim moveri solet, hoc morbo laborantibus.

De Digitali purpurea.—Folia *Digitalis purpureæ* interdum, *Phthisi* ineunte, prosunt. Valde tamen suspicor, multos justo pluris hoc medicamentum æstimasse. Si quid valet, proficere videtur, ob facultatem, qua pollet, cor atque arterias sedandi. Si concedendum sit, ministrare oportebit guttas x. vel xii. bis indies, copia pedetentim aucta.

Denique, incipiente hoc malo, iis, quæ depleant, et sedent, utendum, evitatis simul causis excitantibus.

II. Siquidem ulcus pulmonis medicabile non est, medicum penes est non nisi signis gravioribus atque perniciosis occurrere, atque vires refocillare. Præsertim lenire oportet tussim, dolorem, alvi fluxum atque sudores nocturnos.

Tussis et dolor, morbo demum confirmato, *opio*

optime cedunt, atque *demulcentibus*. Ex his præpollet *Lichen Islandicus*.

Quo alvus fusa contineatur, astringentia *opio* juncta concedi debent: nempe, *extractum Acaciæ Catechu, Kino, extractum Hæmatoxyli Campechiani*, atque *Carbonas Calcis*. Vinum rubrum Lusitanicum hisce rite accedit: quippe quod non solum aliqua astringendi facultate pollet; verum etiam viribus succurrere poterit. Sudor refrigerantibus reprimendus est, præsertim *Acido Sulphurico diluto*. Victu nunc utendum e media materia; qualis satis nutriat, neque vero præter modum calefaciat. Hunc in finem juscula sumenda; carnesque assæ et elixæ, jam egelidæ.

Longe sæpissime sanguinem mittere, atque exulcerantia et *Digitalem purpuream*, *Phthisi* jam confirmata, ministrare, prorsus alienum est; nonnunquam tamen *Phthisis tuberculosa*, vel febre *hectica* et sputo puris præsentibus, ista auxilia desiderat: fieri enim potest, ut quædam tuberculorum, aliis exulceratis, inflammentur. Rem ita se habere indicabunt dolor pectoris acutus, febris ardens et arteriæ concitatæ, febre *hectica* simul macerante, et pure extussito.

FINIS.